

ratio, enī, eaque stabilire conabamur: si autem rationibus convicēt  
essēmus, non pudebat nos mutare sententiam, & aliis assentiri.  
Quin potius cum bona animi conscientia, absque ulla simulatione,  
expansis ad Deum cordibus, quacunque certissimis argumentis &  
auctoritate sacræ scriptura confirmata essent, suscipiebamus. Ulti-  
nam omnes exemplum hoc intueremur, & procul habita arro-  
gantia, & pertinacia in id eniteremur, ut ex ardenti veritatis  
studio, pura animi conscientia, & humilitate divinæ Scripturæ  
autoritati nos submittamus, nullum est dubium, quin Eccle-  
sia majores fructus ex disputationibus nostris sit perceptura. Sic  
frequenter quoque accidit, ut res divinæ non tam evidentes  
sint, uti reliqua ex natura nota, easque intellectus tam distincte  
apprehendere non possit, quo in casu voluntas prius movenda  
est auctoritate sacræ Scripturæ, in qua eas legimus. Sic etiam  
agimus in humanis, si vir fide dignus & oculatus testis incredibile  
quid narrat, assensum ei præbemus, licet rem revera fa-  
& tam evidenter non cognoscamus. Ad hoc virtutum consor-  
tium admittatur quoque probitas, quæ justi atque aequi ratio-  
nem habet, & cavet, ne dissentienti injuriam faciat, ejusque  
verba in alium sensum trahat. Hæc virtus prohibebit Theolo-  
gos ne ex invidorum delationibus, vel odio erga aliquem concepto  
vel præcipitantia sententiam improbent, non intellectam.  
Eadem virtus monebit, ne invidia suspiciones fingat, quod ira-  
torum & malignorum est hominum, qui omni molimine id  
agunt, ut quem odio habent, suspicionibus suppressant. Intel-  
ligunt prudentiores ejusmodi artes, vilipendunt & detestantur  
earum autores. De hoc arguento legi meretur Clar. Clerici  
Dissertatio de Argumento Theologico ab invidia ducto. Ne  
itaque differentes probam in dolem ejusmodi vitiis fœdent, mo-  
nendi sunt, quoties in disputationibus datur occasio, iisque com-

B 2

men-